



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 87. An & qualiter in præsentatione ad beneficia committatur
Simonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

CAPUT III.

Qualiter Simonia committatur in Materia Beneficiali?

Quæst. 86. Qualiter committatur circa Jus Patronatus?

R Esp. Ad hoc responsum à me in foro beneficiæ part. 2. q. 27. ubi, quòd, cur seorsim seu secundum se lumpsum vendi non possit, & quod in tali venditione committatur Simonia. Item *ibidem* q. 67. quòd Jus Patronatus reale, seu annexum v. g. castro, per se & solitariè vendi non possit sine Simonia. Item p. 2. q. 102. num. 9. ubi, quòd commissæ Simonia in ejus cessione, donatione, venditione non tantùm translatio Juris Patronatus impediatur, sed etiam amittatur seu extinguitur. Item p. 3. q. 439. n. 3. ubi quòd circa Jus Patronatus committatur Simonia propter inseparabilem connexionem, quam habet cum Jure spirituali ipsius tituli beneficiæ. Vide quoque Castrop. *tract.* 17. d. 3. p. 14. Ubi num. 1. quod Jus Patronatus pretio vendere seu transferre sit Simonia Juris Ecclesiastici, & n. 2. ubi tanquam probabilius cum Glol. in c. *piæ mentis*. 16. q. 17. & Lessio *cit. c.* 35. du. 22. n. 128. & Suar. *rom.* 1. de relig. l. 4. c. 28. n. 7. censet & probat esse quoque Simoniam Juris Divini.

Quæst. 87. An & qualiter in præsentatione ad beneficia committatur Simonia?

R Esp. Videri posse me de hoc in foro beneficiæ part. 2. q. 100. num. 3. Ubi, quòd Simoniacum sit, dum datur vel promittitur temporale quid pro præsentatione, præter quod in fundatione constat esse impostum; idque, etiamsi detur præsentato ignorante; secus tamen, si fiat sub conditione seu onere dicendi missas, nisi hoc onus spectaret ad præsentantem.

Quæst. 88. Qualiter committatur vel non committatur Simonia in electione & postulatione?

R Esp. Primò: committitur Simonia in electione & postulatione tam ad Prælaturas, quàm ad alia beneficia ab eo, qui etiam cæteroqui dignissimus, per se vel per alium offert dat aut præstat temporale cum expresso aut tacito pacto, aut conditione vel ex hoc motivo, ut ei in electione vel postulatione detur votum ad beneficium vel Prælaturam Ecclesiasticam, idque etiamsi ex sola gratitudine promittatur; est enim quodcumque beneficium Ecclesiasticum quid spirituale, sive consideretur ut officium Jus & Obligatio ad obeundas aliquas functiones spirituales, sive ut Jus percipiendi redditus temporales ratione officii spiritualis, quod vi beneficii præstatur; quod jus licet in se sit quid temporale, quia tamen dicto officio spirituali annexum est, spirituale reputatur, & hinc etiam ut tale vendi nequit sine Simonia, arg. *can.* 2. & *seq. caus.* 1. q. 3. c. *querelam* h. t. & c. 7. de *transact.* Quæ non evitatur, etiamsi quis dicat, se officium & Jus spirituale gratis dare, & solum vendere seu dare pro temporali, Jus percipiendi redditus temporales, prout constat ex c. 7. *caus.* 1. q. 3. Ubi & ratio assignatur his verbis: *Quia quisquis horum alte-*

rum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum in venditum derelinquit. Variis itaque modis committitur Simonia, & quidem primò, si pro electione particularis personæ, etiam dignissimæ, detur pecunia; cum tunc ematur actio spiritualis, nempe electio ipsùmque beneficium. Less. *cit. c.* 35. n. 12. Pirh. *h. t.* n. 87. Secundò, si duo electores hac ratione conveniant: dabo tibi meum suffragium in hac electione, & tu dabis mihi tuum in electione alia. Sylv. *V. Simonia.* q. 13. Azor. p. 3. l. 12. c. 3. q. 7. Pirh. *l. c.* Tertiò, si pro suffragio dando in electione promittatur alteri beneficium vel officium, arg. c. *de hoc.* h. t. & *ibi* Barbof. *num.* 3. Azor. Pirh. *ll. cc.* Quartò Simoniacum est, dare pecuniam alter, ne consentiat in electionem alicujus digni; cum Simonia committatur non solum, si detur spirituale pro temporali, sed etiam si omittatur spirituale pro commodo temporali. Glol. in c. *nemo.* h. t. *V. relatum.* Abb. *ibid.* n. 2. Pirh. *l. c.* Quintò post electionem & postulationem committitur Simonia, si detur vel promittatur temporale pro confirmatione obtinenda, vel ne contradicatur electioni, vel ne electio impugnetur ab aliquo, qui justam impugnandi vel contradicendi causam habet, Immunis tamen est à Simonia, qui dat aut promittit temporale ne eligatur indignus aut minus dignus, Less. *l. c. du.* 19. n. 113. Nav. in *man. c.* 25. n. 102. v. 8. Azor. *l. c.* Castrop. *l. c.* p. 20. n. 8. Reiffenst. *h. t.* n. 145. Cum in tali casu non detur temporale pro spirituali, sed ne spirituale indignè & malè conferatur. Licitumque sit per temporale redimere vexam injustam factam Ecclesiæ. Censent nihilominus Azor. Less. *ll. cc.* Reiffenst. *num.* 146. committi Simoniam ab eo, qui dat temporale, ut neglecto minus digno, aliquis in specie, et si dignissimus, eligatur, cum hac ratione jam detur temporale pro spirituali, nempe pro electione certæ personæ.

2. Resp. Secundo: In eo, num si per tertium Simoniacè procuratum votum, promittendo, dando, aut præstando temporale ignorante illo, pro quo procuratum, electio tota sit irrita, cæteris legitime eligentibus, in eo, inquam, non videntur convenire AA. Affirmativam juxta expressum text. c. *nobis.* h. t. tenent in *cit. c.* 10. Andreæ *num.* 1. Anchoran. *not.* 2. Carden. *q. ult.* Barb. n. 2. Fagn. n. 3. 4. & 16. Socin. *nor.* 1. Navar. in *man. c.* 23. quos sequitur Reiffenst. *h. t.* n. 136. & *num.* 137. cum hac tamen Limitatione, nisi à tertio procuratum votum Simoniacè fraudulenter in præjudicium illius, pro quo procuratum, ex ea ratione, quòd et si electus in vi talis voti non sit in culpa, electio tamen sit vitiosa, & in forma electionis sit peccatum, dum non omnes elegerunt legitime, sed unus aut alter Simoniacè, prout etiam decidit Rota apud Farin. *decis.* 22. Unde etiam hi AA. & in specie Reiffenst. *cit.* n. 137. asseverant auctorè plures revera electiones Episcoporum, Præpositorum aliorumque Prælatorum, nec non Canonicorum, & beneficiatorum, quæ per electionem conferuntur, fuisse nullas, dum vacantibus Ecclesiis præsertim cathedralibus mittuntur & deputantur à magnis Principibus aliisve, qui promittendo offerendo uni vel